

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput VII. De cursu et labore domini.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

in lectulum repausanda reclinaretur, rogabat Dominum ut hora competenti eam excitaret. Et ecce in Prima, vidit in visu juvenem pulcherrimum coram se stantem, ex cujus præsentia cor ejus tantam sensit dulcedinem ut inde excitaretur.

---

CAPUT VII.

DE CURSU ET LABORE DOMINI.

**A**LIA vice dum ex præcepto post Matutinos dormitum iret, vidit Dominum quasi in sublimi solio residentem, sub pedibus scabellum habentem, et sibi dicentem : « Hic super pedes meos te reclinans, dormi. » Quæ statim obediens, caput super pedes ejus posuit ita ut auris ejus vulneri pedis aptaretur. Tunc audivit vulnus illud quasi ollam ferventem ebullire. Et dixit Dominus ad eam : « Quem sonum dat coquens olla ? » At illa dum cogitaret se nescire, respondit Dominus : « Olla ebulliens semper sonat ac si dicat : « Curre, curre; sic fervens et ebulliens amor Cordis mei semper instigavit me dicens : Curre, curre de labore ad laborem, de civitate ad civitatem, de prædicatione ad prædicationem ; nec unquam quiescere me permisit, donec omnia saluti tuæ necessaria ad finem usque complevi. »

Per vulnus  
pedis  
Domini  
audit anima  
sonum  
mirificum.